

Ciceronis orationum editionem Schultzianam, quae prodiit Arnsbergae MDCCCXLIII, quam nuper indicavi in Museo Praeceptorum Rhenano-Guestphalorum (Vol. II. p. 286 seqq.), magno opere eam editionem discipulis commendandam esse ratus, paucas tamen res a me desiderari profitebar, quibus additis illa discipulorum commodis aliquanto mihi videretur esse accommodatior. Quarum quidem rerum oblata occasione partem tractaturus, ut ante hos tres annos scriptis ad Virgilio Aeneidem prolegomenis, ita nunc quoque id potissimum spectavi, ut discipulorum parerem utilitatibus. Ut autem id quod volui quam possem optime assequerem, id mihi agendum esse putavi, ut primum eloquentiae Romanae conditionem, qualis fuerit ante Ciceronem, paucis adumbrarem, deinde in Cicerone nos habere summum ac perfectissimum eloquentiae exemplum, quaque ratione eo pervenerit, ostenderem, denique de eius orationibus adderem ea, quibus facilius reddi videretur illarum intelligentia. Atque quum in omnibus his partibus non tam copia quam modus mihi erat quaerendus, tum in prima parte tantum modo, quantum opus esset ad ipsum Ciceronem recte aestimandum, in altera autem omissis iis rebus, quae non spectarent ad Ciceronem oratorem, ea tantum afferenda esse mihi videbantur, quae pertinerent ad exprimendam Ciceronis oratoriae facultatis imaginem, in tertia denique parte rei iudiciariae praecipuam rationem habendam, in omnibus vero, ubicunque licuit, ipsius Ciceronis verbis utendum et discipulis ad legendas Ciceronis orationes accedentibus consulendum esse putavi.

Caput I.

Eloquentia Romana qualis fuerit ante Ciceronem, demonstratur.

Cicero postquam in Tuscul. disput. prooemio (I, 2.) sero a Romanis poetas, quorum apud Graecos antiquissimum fuerit e doctis genus, vel cognitos vel receptos esse dixit, initio sequentis capitis ita pergit: „At contra oratorem celeriter complexi sumus, nec eum primo eruditum, aptum tamen ad dicendum; post autem eruditum: nam Galbam, Africanum, Laelium, doctos fuisse traditum est, studiosum autem eum, qui his aetate anteibat, Catonem; post vero Lepidum Carbonem, Gracchos: inde ita magnos nostram ad aetatem, ut non multum aut nihil omnino Graecis cederetur.“ Quibus verbis continentur quasi semina perfectae historiae eloquentiae Romanae, quam accuratius tractavit Cicero eo libro, qui inscribitur Brutus. Inesse autem in illis significatio quaedam videtur trium eloquentiae Romanae aetatum, quarum prima continet illos viros, quos quamquam nondum eruditos, aptos tamen ad dicendum dicit Cicero; altera aetate continentur, qui eruditi supra vocantur, Galba, Africanus, Laelius, alii; tertia denique magni illi viri, qui suis orationibus effecerunt, ut non multum aut nihil omnino Romani Graecis eloquentiae laude cederent. Iam eam, quam

primam statuimus eloquentiae Romanae aetatem, incipiunt fere ab exactis regibus, producant usque ad finem belli Punici secundi. Cuius aetatis hominum disertorum perexiguam tantum accepimus memoriam. Quos enim Cicero in Bruto commemorat huius aetatis viros, ut illis temporibus disertos, L. Jun. Brutum, M. Valerium Maximum, L. Valerium Potitum, Ap. Claudium, C. Fabricium, alios, hos ex illis, quae fecere, aliquid dicendo potuisse suspicatur, sed ipse tantummodo coniectura se duci dicit ad suspicandum, oratores autem neque eos esse habitos, neque omnino tum ullum fuisse eloquentiae praemium. Propterea aptos tantum eos dicit ad dicendum i. e. insita quadam dicendi facultate praeditos. Tria autem quum fere statuunt veteres dicendi genera, demonstrativum, deliberativum, iudiciale, unum tantum illa aetate usurpabant deliberativum, leges plerumque pro concione aut suadentes aut dissuadentes. Inter illos autem, quos modo commemoravi, disertos praeter ceteros excelluisse videtur Ap. Claudius, cui postea Caeco cognomen inditum est, consul. 306 a. Ch. cui etiam Liv. X, 19 tribuit eximiam eloquentiam, eiusque oratio, qua senatum iamiam inclinatum a Pyrrhi pace revocavit, etiam Ciceronis aetate exstabat¹⁾. Tum vero etiam ad eam aetatem pertinent orationes funebres, quae vocantur, sive mortuorum laudationes, quibus honoratorum virorum laudes in concione memorantur, quem mortuos laudandi morem repetere solent ex primis post exactos reges temporibus, eumque Plutarcho et Dionysio Halicarnasense auctoribus inde natum esse putant, quod Valerius Poplicola Brutum collegam in concione laudavit. Et has quidem sua aetate exstitisse dicit Cicero: ipsas enim familias sua quasi ornamenta ac monumenta servasse et ad usum, si quis eiusdem generis occidisset et ad memoriam laudum domesticarum et ad illustrandam nobilitatem suam. Sed his laudationibus historiam rerum Romanarum factam esse mendosiorum; multa enim scripta esse in eis, quae facta non essent, falsos triumphos, plures consulatus, genera etiam falsa et a plebe transitiones. Accuratius de his egi in iis, quae scripsi ante hos quindecim annos ad indicenda solemnia anniversaria nostri Gymnasii. Sed haec hactenus.

Altera eloquentiae Romanae aetate, quae ducitur a finito bello Punico altero, eos contineri diximus, quos universos eruditos appellat Cicero. Quam vocem non ita intelligi vult, quasi tum iam exstitissent dicendi magistri, qui scholas haberent ad imbuendos arte dicendi adolescentulos eamque artem ratione docerent ac via, sed erat etiam tum idem, qui prima, quam diximus, aetate fuerat, iuvenum arte quadam imbuendorum mos. Ad clarum quemdam virum, artis peritia praestantem, deducti usu discebant eam, cui studebant, artem. Eruditum s. doctum quum dicit Cicero huius aetatis oratorem, significat cum ceteris artibus tum imprimis graecis litteris institutum s. politum; quare Catonem studiosum modo appellat, quippe qui senex demum didicerit Graecas litteras. Magna enim iam illa aetate erat atque maior in dies fiebat vis, quam Graeci exercebant in Romanorum studia, ut Cicero de Orat. II, 37 Africanum et C. Laelium semper secum eruditissimos homines ex Graecia palam habuisse dicat. Magnam in primis vim in Romanam eloquentiam exercuisse videntur legati a. 156 a. Ch. ab Atheniensibus ad senatum Romanum missi, Carneades, Academicorum sectae addictus, Critolaus, qui erat ab Aristotele et Diogenes Stoicus, tres illius aetatis nobilissimi philosophi, ex quibus Diogenes artem tradebat bene disserendi et vera ac falsa diiudicandi, quam verbo Graeco *διαλεκτικήν* appellavit. Quae ars cum non praecipiat, quomodo verum inveniatur, sed tantum quomodo iudicetur, omnes fere Stoicos dicit Cicero prudentissimos in disserendo fuisse, eosdem traductos a disputando ad dicendum inopes esse reperi- tos. Quare plus etiam profuit eloquentiae studio Critolaus; in Peripateticorum enim doctrina disserendi ratio coniungitur cum suavitate dicendi et copia. Carneadis denique Cicero tam incredibilem fuisse dicit vim dicendi et varietatem, ut nullam unquam in suis disputationibus rem defenderit, quam non probarit, nullam oppugnaverit, quam non everterit. Ita fieri non potuit, quin hi viri et consuetudine et exemplo et doctrina permultum valerent ad imbuendos plurimis oratoriis virtutibus Romanos. Illa demum aetate Romani primum iudiciali dicendi genere usi esse videntur, maxime tum, quum constitutis a. 150 a. Ch. quaestionibus perpetuis, quae vocabantur, iudicia plura fieri coeperunt, et quum iudicia populi, lata a. 138 a. L. Cassio lege Tabel-

¹⁾ Cfr. Brut. 16.

laria, qua sancitum est, ut tabellae etiam in iudicio populi adhiberentur, praeterquam in iudicio perduellionis, iam magis patronum desiderabant (Brut. 27). Praecipue illius aetatis propriam fuisse dicit Cicero laudem locutionis emendatae et Latinae, id vero non rationi aut scientiae, sed quasi bonae consuetudini esse tribuendum; omnes tum fere, qui nec extra urbem vixissent, nec eos aliqua barbaries domestica infuscasset, recte locutos; sed hanc rem deteriorem vetustate esse factam, confluisse enim Romam multos inquinatae loquentes ex diversis locis. Ita hac aetate primis velut lineis designata, in afferendis singulis eiusdem oratoribus in primis ratio erit habenda eorum virorum, quorum Cicero mentionem fecit illo loco, quem supra memoravimus, tanquam aetatis illius principum: Catonis, Galbae, Africani, Laelii, Lepidi, Carbonis, Gracchorum.

Primo igitur loco nobis commemorandus erit M. Porcius Cato, cognominatus Censorius, natus a. 234, mortuus a. 149 a. Ch., in quo summis cum aliis tum oratorii virtutibus ornando omnes fere consentire videntur, qui quidem eius mentionem fecerunt, totius antiquitatis scriptores, Cicero, Cornelius Nepos, Livius, Plutarchus, Plinius, alii, quorum nullus luculentioribus verbis varias eius descripsit virtutes, quam Liv. XXXIX, 40, cuius haec sunt verba: „Sed omnes patricios plebeiosque nobilissimarum familiarum M. Porcius longe anteibat; in hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut, quocumque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur. Nulla ars neque privatae, neque publicae rei gerendae ei defuit; urbanas rusticasque res pariter callebat; ei versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret. In bello manu fortissimus, multisque insignibus clarus pugnis; idem postea quam ad magnos honores pervenit, summus imperator; idem in pace, si ius consuleres, peritissimus, si causa oranda esset, eloquentissimus, nec is tantum, cuius lingua vivo eo vigerit, monumentum eloquentiae nullum exstet; vivit imo vigetque eloquentia eius, sacrata scriptis omnis generis. Orationes et pro se multae et pro aliis et in alios; nam non solum accusando, sed etiam causam dicendo fatigavit inimicos.“ Quibuscum consentiunt fere ea, quae Cicero de illo iudicat, quum dicit de Or. III, 33: „Nemo apud populum fortior, nemo melior senator: idem facile optimus imperator, denique nihil in hac civitate temporibus illis sciri discere potuit, quod ille non quum investigarit et scierit tum etiam conscripserit.“ Atque de Or. I, 37: „Eloquentia tanta fuit, quantam illa tempora, atque illa aetas in hac civitate ferre maximam potuit, et iuris civilis omnium peritissimus.“ Amplius centum quinquaginta Cicero a se ipso etiam tum inventas atque lectas esse dicit orationes, refertas illas et verbis et rebus illustribus (Brut. 17), ex quibus diserte commemorat orationem, quam habuit summa senectute, annos natus quatuor et octoginta, in Ser. Galbam oratorem, eamque in Origines suas retulit (Brut. 20). Quod nondum satis politus et antiquior eius sermo esse dicitur et quaedam horridiora verba, eius rei culpa non ipsi, sed ei, qua vixit, aetati est assignanda. Ipsum, qui antea philosophos Roma eiciendi auctor fuisset, in senectute Graecas litteras didicisse, iam supra memoratum est.

Sequuntur P. Scipio Africanus et C. Laelius, ab aequalibus Sapiens (σοφὸς) cognominatus, cuius nomine Cicero librum de Amicitia inscripsit, Catone sene adolescentem; natus enim erat C. Laelius a. 187, P. Africanus a. 182 a. Ch. Qui viri tam arto amicitiae vinculo inter se erant coniuncti, ut in proverbii consuetudinem venerit illa. Fuit enim, dicit Cicero (de rep. I, 12), hoc in amicitia quasi quoddam ius inter illos, ut militiae propter eximiam belli gloriam Africanum ut deum coleret Laelius, domi vicissim Laelium, quod aetate antecederat, observaret in parentis loco Scipio. Ambo cum fuerint gloria clarissimi, auctoritate gravissimi, humanitate politissimi (de Or. II, 37) et illis temporibus facile principes; suo tamen quisque in genere erat princeps. Laelii laudatur comitas, hilaritas, aequabilitas in omni vita, idem semper vultus eademque frons (off. I, 26), in dicendo lenitas (de Or. III, 7), Africani gravitas et severitas. Ita quum plurimum valeat uterque in plurimis rebus, dicendi tamen laus est in Laelio inlustrior, id quod hominum mori tribuendum esse putat Cicero, ut nolint eundem pluribus rebus excellere: nam ut ex bellica laude adspirare ad Africanum nemo potuerit, sic ingenii, litterarum, eloquentiae, sapientiae denique etsi utrique primas, priores tamen libenter oblatas esse Laelio. Vetustior tamen et horridior Laelius fuisse dicitur et magis delectatus esse antiquitate et lubenter verbis etiam usus paullo magis prisca. Utrumque elegantia sermonis tanquam huius aetatis propria

excelluisse, iam supra commemoratum est. Exstabant etiam Ciceronis aetate plures utriusque orationes, ex quibus existimari de ingeniis eorum potuit, inter quas diserte mentionem facit Laelii orationis de collegiis sacerdotum s. de religione (Brut. 21), habitae a Laelio praet. a. 146 a. Ch. contra C. Licin. Crassum, qui legem tulerat de sacerdotiis, ex qua sacerdotes, qui antea a suo quique collegio cooptati erant, comitiis populi Romani eligerentur, quam orationem nobilem (Nat. deor. III, 2) atque adeo aureolam oratiunculam (d. l. III, 17) nominat Cicero.

His, quos modo commemoravi, viris, Serv. Sulpicius Galba, idem, contra quem a. 150 a. Ch. ultimo aetatis anno dixit Cato, aetate paullum antecedens, sine controversia eloquentia iis praestitisse atque adeo inter tot aequales unus excellens fuisse existimatur (Brut. 21 cl. 97); quare (de Orat. I, 10) divinus homo in dicendo nominatur. Nihil secius exiliores esse dicuntur eius orationes et redolentes magis antiquitatem, quam aut Laelii aut Scipionis aut etiam ipsius Catonis, itaque Ciceronis aetate exaruisse neque iam apparere. Quo in iudicio quum sibi non satis constare videri possit Cicero, cur ita iudicet, ita fere explicat (Brut. 24). Cum duae summae sint in oratore laudes, una subtiliter disputandi ad docendum, altera graviter agendi ad animos audientium permovendos, multoque plus proficiat is, qui inflammat iudicem, quam ille, qui docet: elegantia in Laelio, vis in Galba fuit. Quare Laelii mens, quod limatius dicendi consecratur genus neque eum unquam defecit prudentia, qua utens eodem modo potuit et dicere et scribere, spirabat etiam in scriptis, Galbae autem, quem fortasse vis non ingenii solum, sed etiam animi et naturalis quidam calor dicentem incendebat efficiebatque, ut et incitata et gravis et vehemens esset oratio, dein cum otiosus stilum prehenderat, motusque omnis animi tanquam ventus hominem defecerat, flaccescebat oratio. Galba primus ex Latinis illa oratorum propria et quasi legitima opera tractavit, ut egrederetur a proposito ornandi causa, ut delectaret animos, ut permoveret, ut auget rem, ut miserationibus, ut communibus locis uteretur (Brut. 21). Quare etiam tum, quum Cato senex contra illum dixit, poenas daturus fuisse dicebatur a Catone, nisi pueris, quos tutelae populi flens commendavit, et lacrimis usus esset (de Or. I, 53). Aliquando causam pro publicanis tanta vi tantaque gravitate dixisse fertur, ut nulla fere pars orationis silentio, i. e. sine audientium plausu praeteriretur (Brut. 22).

Iisdem temporibus fere, quibus Galba, sed paullo minor natu M. Aemil. Lepidus, qui est Porcina dictus et Consul fuit a. 138. a. Ch., et ipse summus orator est habitus. In quo viro describendo admodum brevis est Cicero, qui tantummodo fuisse eum scriptorem sane bonum apparere dicit ex eius orationibus, atque hoc in oratore Latino primum et lenitatem apparuisse illam Graecorum et verborum comprehensionem et artificem stilum. Idem vero (de Or. I, 10) una cum Serv. Galba et C. Carbone ignarus nominatur legum, haesitans in maiorum institutis et rudis in iure civili.

M. Lepidum sequuntur, qui eum studiose audire soliti sunt Ti. Sempronius Gracchus, Africani maioris nepos et C. Papir. Carbo, adolescentes ingeniosissimi et prope aequales, quorum alter, vir referente Velleio (II, 1) alioqui vita innocentissimus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus, tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta et natura et industria mortalis conditio recipit, propter turbulentissimum tribunatum, ad quem ex invidia foederis Numantini, ipso auctore icti, a senatu vero improbati, bonis iratus a. 134 a. Ch. accesserat, a P. Scipione Nasica Serapione probante senatu est interfectus; alter, C. Carbo, seditiosus atque improbus civis (leg. III, 16), propter perpetuam in populari ratione levitatem morte voluntaria se a severitate iudicum vindicavit. Tribunus enim plebis a. 132 a. Ch. populares aliquot tulit leges, deinde in concione cum ipse saepe Ti. Gracchi caedem deploravit, tum P. Africanum minorem ex bello Numantino nuper reversum interrogavit, quid de illa caede sentiret; qui quum, si occupandae reipublicae animum habuisset, iure eum caesum respondisset, magnam ei invidiam conflagavit. Postero tempore quamquam mente mutata consul factus a. 121 a. Ch. L. Opimium, qui L. Gracchum interfecerat, defendit, tamen ne reditus quidem ad bonos salutem a bonis ei potuit afferre (leg. III, 16). Nam quum consulatu abisset, accusatus a L. Crasso ob seditionem Ti. Gracchi cantharidas sumsisse dicitur. Utrumque summum oratorem fuisse dicit Cicero (Brut. 27), eiusque rei testibus utitur non memoria solum patrum sed ipsorum, quae exstabant, orationibus, nondum iis quidem satis

splendidis verbis, sed acutis prudentiaeque plenissimis. Fuit enim Ti. Gracchus diligentia Corneliae matris a puero doctus, quare non tam in gremio educatus, quam in sermone matris dicitur, et Graecis litteris eruditus; Carbonem autem qui audierant, canorum oratorem et volubilem et satis acrem, atque eundem et vehementem et valde dulcem et perfacetum fuisse dicebant. Eundem tamen non satis gnarum legum et iuris fuisse, iam supra commemoratum est.

Tib. Graccho longe praeferendus est frater eius minor natu C. Sempronius Gracchus vir et praestantissimo ingenio et flagrante studio et pari atque frater cura a Cornelia matre, Africani maioris filia, educatus. Eius vitae summam brevissime ac luculentissime attigit Vell. (II, 6) his verbis lectu dignissimis: „Decem interpositis annis qui Tib. Gracchum, idem Caium, fratrem eius, occupavit furor, tam virtutibus eius omnibus, quam huic errori similem, ingenio etiam eloquentiaque longe praestantiorum. Qui cum summa quiete animi civitatis princeps esse posset, vel vindicandae fraternae mortis gratia, vel praemuniendae regalis potentiae, eiusdem exempli tribunatum ingressus, longe maiora et acriora repetens, dabat civitatem omnibus Italicis. Extendebat eam paene usque ad Alpes, dividebat agros; vetabat quemquam civem plus D iugeribus habere; nova constituere portoria; novis coloniis replebat provincias; iudicia a senatu transferebat ad equites; frumentum plebi dare instituerat: nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum denique in eodem statu relinquebat: quin alterum etiam continuavit tribunatum. Hunc L. Opimius Consul persecutus armis morte adicit (a. 122 a. Ch.).“ Atque re vera illum eloquentia non solum fratre praestantiorum fuisse, sed omnes aequales et superiores superatum fuisse, si diutius vixisset, etiam Cicero pluribus locis vel indicat vel diserte testatur (Brut. 33). Grandem eum dicit esse verbis, sapientem sententiis, genere toto gravem atque damnum illius immaturo interitu res Romanas latinasque litteras fecisse (Brut. I. 1.), omnibus vel naturae vel doctrinae praesidiis ad dicendum eum fuisse paratum (de Or. III, 56), ita rem egisse oculis, voce, gestu, inimici ut lacrimas tenere non possent. Denique eloquentiam eius summis laudibus effert A. Gellius (X, 3; XI, 13) qui testatur, non defuisse, qui hunc Ciceroni anteferrent, quod tamen ipse ferri non posse arbitratur.

Iam accedimus ad tertiam eloquentiae Romanae aetatem, qua exstiterunt viri, qui haud multum abest quin vere ac proprie nominentur eloquentes, qui „omnes omnium rerum, quae ad dicendum pertinent, fontes animo ac memoria continent, mirabilis ac magnificentius augere possunt atque ornare, quae volunt“ (de Or. I, 21), oratores illi magni, qui effecere, ut non multum aut nihil omnino Romani Graecis eloquentiae laude cederent. His enim haud dubie iam adnumerandi sunt, qui proxime sequuntur M. Antonius, oratoris nomine insignitus, natus a. 143 a. Ch. atque a. 87 a. Ch. in bello civili iussu Cinnae crudelissime interfectus, et triennio minor L. Licinius Crassus, natus a. 140 a. Ch. quatuor et triginta annis ante Ciceronem, qui quum Consul fuisset a. 95 una cum Q. Scaevola, socero suo, a. 91 mortuus est (de Or. III, 1. 2), oratores maximi qui a Cicerone vocantur (Brut. 36.) In his enim viris diserte Cicero primum dicit cum Graecorum gloria Latine dicendi copiam aequatam, eaque aetate dicendi Latine primam maturitatem exstitisse eamque iam ad summum paene esse perductam (Brut. 43). Atque quum quinque sint quasi membra eloquentiae (Brut. 59; de Or. I, 42; II, 19), sive res, ex quibus constare dicitur eloquentia: invenire, quid dicas, inventa disponere, deinde ornare verbis, post memoriae mandare, tum ad extremum agere et pronuntiare: in his, quos modo nominavi, viris haec omnia iam fere perfecta inveniebantur. Antonio enim, teste Cicerone (Brut. 37), non solum omnia veniebant in mentem, sed suo etiam quaeque loco, ubi plurimum proficere et valere possunt, atque ab ipso in maxime opportunis orationis partibus sunt collocata; praeterea memoria ei fuit summa atque actio singularis; una diligenter loquendi laude caruit. Antonio alii parem esse dicebant, alii anteponebant L. Crassum (Brut. 38), cui praeter eas, quas modo commemoravi virtutes, tribuitur etiam Latine loquendi accurata et sine molestia diligens elegantia, praeterea summa gravitas et cum ea iunctus facetiarum et urbanitatis oratorius lepos. Atque quum minus ad id tempus oratores a philosophia, a iure civili, ab historia instructi esse solerent, Crassum tamen in iis rebus non fuisse rudem, docent ea, quae Cicero de eo commemorat de Or. I, 11, ubi ipse Crassus se aliquamdiu Athenis cum clarissimis illius temporis philosophis versatum cum

Charmada diligentius Platonis Georgiam legisse dicit, et in Brut. c. 38 et 39, ubi praedicat eius in disserendo miram explicationem, argumentorum et similitudinum copiam eumque adeo nominat eloquentium iuris peritissimum atque allato etiam exemplo docet, quam mira dexteritate functus sit tribus illis oratoris officiis, cuius est, ut dicendo animos audientium et doceat et delectet et permoveat (Brut. 53). Ille omnium maturissime ad publicas causas accessit, quippe qui, ut supra commemoratum est, annos natus unum et viginti nobilissimum hominem et eloquentissimum C. Carbonem in iudicium vocaverit. Deinde versatus est in omni fere genere causarum multasque habuit orationes, quarum eam, quam scriptam reliquit in legem Caepionis, neque vero illam undique expletam et perfectam, Cicero sibi puero quasi magistram fuisse dicit, neque enim alium quemdam potuisse melius scribere, neque se habuisse, adolescens quid in Latinis potius imitaretur (Brut. 87). Antonii genus dicendi multo aptius iudiciis, quam concionibus, excellebat actione, a philosophia autem et litteris Graecis minus erat instructus Crasso, quod opinionem studiorum istorum et suspicionem artificii apud iudices oratori adversariam esse arbitrabatur (d. Or. II, 37). Hac etiam mente scripsit libellum, quem unum reliquit, de ratione dicendi, exilem sane iudice Bruto (C. 44). Ob has horum virorum virtutes factum est, ut de populo si quis rogatus esset, quem haberet eloquentissimum, aut in Antonio et Crasso dubitaret, aut hunc alius, illum alius diceret, neque unquam dubium fuisset, eligendi cui patroni daretur optio, quin aut Antonium optaret aut Crassum (Brut. 50).

His duumviris tres tantum adiungendos censeo, qui ipsi etiam Ciceroni (Brut. 97) soli digni sunt visi, quorum inter multos huius aetatis mentionem faceret, oratores, C. Cottam dico, P. Sulpicium, denique Q. Hortensium. Aequales fuerunt C. Aurelius Cotta, qui, natus a. 124 a. Ch. consulatu eodem anno, quo Cicero quaestura (75 a. Ch.) fungebatur atque ex consulatu in Galliam profectus non multo post mortuus est, et eodem anno natus P. Sulpicius Rufus, qui quum tribunus plebis a. 88 a. Ch. auctore Mario perniciosas quasdam leges tulisset atque L. Cornelium Sullam irritasset occiso Q. Pompeio, consulis filio, Sullae genero, ubi Sulla exercitum urbi admovit, in villa quadam latens indicio servi sui retractus et ab equitibus occisus est. Quorum Sulpicius, auctore Cicerone, Crassum, Cotta Antonium sibi ad imitandum proposuit, neque vero Crassi leporem assecutus est ille, neque hic Antonii vim; uterque autem aequalibus suis plurimum praestitit (Brut. 49; 56). Quantum uterque valuerit dicendo, his Crassi verbis significatur, quibus eos adloquitur de Or. I, 29: „In vobis egregiam quandam ac praeclaram indolem ad dicendum esse cognovi et quanquam in utroque vestrum summum esse ingenium studiumque perspexi, tamen haec, quae sunt in specie posita, in te, Sulpici, divina sunt. Ego enim neminem nec motu corporis neque ipso habitu atque forma aptiorem nec voce pleniorem aut suaviorem mihi videor audisse.“

Q. Hortensius a. 114 a. Ch. octo annis ante Ciceronem natus, admodum adolescens orsus est dicere, qui anno aetatis undevicesimo (95 a. Ch.) primum dixerit in foro eodemque anno in senatu. Deinde celeriter ad maiores etiam causas adhiberi coeptus est, et quanquam incidit in summorum, qui tum fuere, oratorum aetatem, cum omnibus tamen dicendi gloria comparabatur. Erant in eo cum omnes ingenii facultates, tum imprimis mira memoria atque studium tam flagrans, ut nullum pateretur esse diem, quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum. Idem erat in verborum splendore elegans, compositione aptus, facultate copiosus; vox canora et suavis; motus et gestus etiam plus artis habebat, quam erat oratori satis. Praeterea attulerat in forum duas res, quas nemo alius: partitiones, quibus de rebus dicturus esset, et collectiones (*ἀνακεφαλαιώσεις*), eorum, quae essent dicta contra, quaeque ipse dixisset (Brut. 88), quas tamen Cicero nonnumquam leviter eludit (p. Quinct. 10; in Caec. 14). Sed post consulatum quum summum, quo antea incensus fuerat, studium aliquamdiu remisisset et sui dissimilior videretur fieri quotidie, eo anno, quo Cicero consul factus est (63 a. Ch.), revocare se ad industriam coepit, atque ab eo tempore duodecim annos Cicero et Hortensius usque ad huius mortem saepe in iisdem, saepe in contrariis causis versati sunt. Neque vero senis Hortensii oratio ita probabatur Romanis, praesertim eruditis, ut adolescentis, cuius rei causam affert Cicero, quod usque usus sit genere orationis Asiatico, adolescentiae magis concesso quam senectuti. Ceterum Quinct. (XI, 3. 8) Hortensii, quippe

qui actione plurimum valuerit et memoria, scriptas orationes multo minus legentium movisse dicit animos, quam audientium, quum haberentur, atque etiam Cicero (Or. 38) melius eum dixisse, quam scripsisse dicit. Philosophiam accusavit atque vituperavit, quare Cicero scripsit librum, quo defenderet eam et collaudaret civesque suos cohortaretur ad eius studium, eumque librum, cuius nunc quidem fragmenta tantum exstant, Hortensi nomine inscripsit (de fin. I, 1). Admodum dives fuisse videtur, quum plures eius commemorentur villae pluraque praedia et pulcherrima domus, quumque a Cicerone (Brut. 93) dicatur in omnium rerum vixisse abundantia. Neque vero eum honestissimo semper modo comparasse divitias illas, plures apud Ciceronem ostendunt loci (off. III, 18, 3; in Caec. 7, 8), quibus aperte significatur, ab eo saepius vel iudices corruptos, vel munera a clientibus accepta, vel lucri studio iniuriam adiutam.

Caput II.

De Cicerone, eloquentiae Romanae principe.

Iis, quos quidem adhuc tractavimus, Romanis oratoribus Cicero quantum dicendi vi praestiterit omnibus, testimonia nos docent eorum scriptorum veterum, quibus comparare licuit eius orationes cum aliis, qui iidem dicendo plurimum potuisse dicuntur. Caesar enim, huius generis acerrimus existimator, in libris de Analogia s. de ratione latine loquendi scripsit his verbis, cum Ciceronem nomine esset affatus: „Cogitata praeclare eloqui ut possent, nonnulli studio et usu elaboraverunt, cuius te paene principem copiae atque inventorem, bene de nomine ac dignitate populi Romani meritum esse existimare debemus“ (Brut. 72). Ad quod Caesaris iudicium respiciens Brutus: (C. 73) „quo uno, inquit, vincebamur a victa Graecia, id aut ereptum illis est, aut certe nobis cum illis communicatum.“ Velleius Paterculus cum aliis locis tum praecipue C. II, 34 ita Ciceronem laudat: „M. Cicero, qui omnia incrementa sua sibi debuit, vir novitatis nobilissimae, et ut vita clarus, ita ingenio maximus, qui effecit, ne quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur, Cons. Serg. Catilinae coniurationem singulari virtute, constantia, vigilia curaque aperuit.“ Plutarchus vero in vita Ciceronis C. 4 haec dicentem facit Apollonium Molonem: „*Ὁ Κικέρων, ἐπαινῶ καὶ θαυμάζω, τῆς δ' Ἑλλάδος οἰκτεῖρω τὴν τύχην, ὁρῶν, ἃ μόνον τῶν καλῶν ἡμῶν ὑπέλειπετο, καὶ ταῦτα Ῥωμαίοις διὰ σοῦ προσγεγόμενα, παιδείαν τε καὶ λόγον.*“ Quibuscum comparari possunt, quae leguntur in dialogo de causis corruptae eloquentiae C. 25: „Quomodo inter Atticos oratores primae Demostheni tribuuntur — sic apud nos Cicero ceteros eorundem temporum disertos antecessit.“ Denique Quintilianus, huius rei existimator imprimis doctus et intelligens l. X, 1, 108: Mihi, inquit, videtur M. Tullius, quum se totum ad imitationem Graecorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, incunditatem Isocratis, nec vero, quod in quoque optimum fuit, studio consecutus est tantum, sed plurimas vel potius omnes ex se ipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissima ubertate, et 112: Quare non immerito ab hominibus aetatis suae regnare in iudiciis dictus est: apud posteros vero id consecutus, ut Cicero iam non hominis nomen, sed eloquentiae habeatur. Hunc igitur spectemus: hoc propositum sit nobis exemplum: ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.

Ad quam eloquentiae praestantiam quomodo pervenerit Cicero, quaerentibus nobis, tria illa, quae maximam habent vim ad conformandum oratorem, naturam, doctrinam, industriam in illo fuisse omnia summa reperiemus. Primum enim quum a natura permulta habere oratorem necesse sit, quae nisi ei sunt, operam perdit, neque multum adiuvatur a magistro (de Or. I, 28), ea quantum valuerit, quum ipse de se ea, qua par est, verecundia semper iudicet, ex eorum, quos modo attuli, scriptorum testimoniis satis apparet. Imprimis

propria Ciceronis fuisse traduntur lepos quidam et facetiae, quibus multum in causis persaepe proficitur. Ad naturam autem, quanquam ad dicendum maximam affert vim, accedat necesse est doctrina et exercitatio, quibus quantum semper tribuerit, persaepe ipse de se praedicare non dubitat. Cum enim neminem esse dicat in oratorum numero habendum, qui non sit omnibus iis artibus, quae sunt libero dignae, perpolitus (de Or. I, 16), quanto studio omnibus illis imprimis philosophiae, iuri civili, historiae, operam dederit, ipse scite enarrat in libris oratoriis, imprimis in Bruto. In philosophiae studio, in quo se non mediocrem a primo tempore aetatis operam curamque consumsisse dicit (Nat. deor. I, 3), imprimis praeceptoribus usus est principibus illius aetatis, Diodoto, Philone, Antiocho, Posidonio. A Diodoto Stoico studiosissime dialecticam didicit, quam quasi contractam et adstrictam eloquentiam putandam esse dicit, eumque senem apud se habuit et domi suae mortuum sepelivit. Maiore etiam studio operam dedit Philoni, Academiae principi, qui Mithridatico bello domo profugerat Romamque venerat, Academiae ratus consuetudinem de omnibus rebus in contrarias partes disserendi, maximam esse dicendi exercitationem. Quare ipse (de Or. III, 12), fateor, inquit me oratorem, si modo sim, aut etiam quicumque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse. Paucis annis interiectis philosophiae studium ita a prima adolescentia cultum et semper auctum renovavit, quum Athenas venisset (79 a. Ch.), auctore et doctore Antiocho Ascalonita, Philomis auditore, veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho. Quem quarto loco Cicero (Nat. deor. I, 3) inter suos philosophiae praeceptores nominat, Posidonius, Stoicus erat philosophus, Panaetii illius, quem Cicero in scribendis libris de officiis imitatus est, auditor. Iurisprudentiam Cicero multo quidem inferiorem eloquentia, cum ea tamen coniunctam esse oportere atque rem ad privatas causas et ad oratoris prudentiam maxime necessariam dicit (Mur. 13), et merito quidem, nam eum, cui causa alicuius agenda erat, legum et consuetudinis eius, qua privati in civitate utebantur, et ad respondendum et ad cavendum peritum esse oportuit. Propterea sumta virili toga ad Q. Mucium Scaevolam Augurem iuris peritissimum ita erat deductus a patre, ut quoad posset et liceret, a senis latere nunquam discederet (Lael. I, 1), quo mortuo iuris civilis studio multum operae dabat Q. Scaevolae P. F. Pontifici, qui et ipse, ut tota Muciorum gens iuris civilis intelligentia praestitit et quanquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat. Quam necessaria autem oratori sit rerum gestarum cognitio, ipse dicit (Orat. 43): „Cognoscat etiam orator rerum gestarum et memoriae veteris ordinem, maxime scilicet nostrae civitatis, sed etiam imperiosorum populorum et regum illustrium. Commemoratio autem antiquitatis exemplorumque prolatio summa cum delectatione et auctoritatem orationi affert et fidem.“ Qua quidem re quoties et quanta sollertia usus sit Cicero, satis docent eius, quae exstant orationes. Cum igitur in Bruto (C. 43) Crassi et Antonii aetate eloquentiam iam ad summum paene esse perductam dicit, ut ei nihil ferme quisquam addere posset, nisi qui a philosophia, a iure civili, ab historia fuisset instructor, C. 93 his tribus rebus se satis instructum fuisse, etsi non diserte dicit, tamen satis aperte significat. Ipsius autem orandi artis praeceptorem habuit Molonem Rhodium, et actorem summum causarum et magistrum, qui dictatore Sulla legatus ad senatum Romanum de Rhodiorum praemiis venisse dicitur.

Quum autem iudicaret, omnium magistrorum praecepta superari usu, his omnibus artibus ita tantum deditus fuit, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. Quae exercitationes quales fere fuerint, ipse significat in Bruto C. 89, accuratius describit de Orat. I, 34: sese exercebat quotidie et audiens et scribens et legens et commentans. Audiebat cum alios tum imprimis P. Sulpicium, in tribunatu (a. 88) quotidie concionantem, et qui primas tum in causis agebat, Q. Hortensium. Scribendo s. stilo ipse dicit (Brut. 93) se nunquam destitisse facultatem oratoriam augere, nullam enim rem tantum ad dicendum proficere, quantum scriptionem (Brut. 24). Legebat et summorum oratorum Graecorum cum aliorum tum imprimis Demosthenis orationes Latineque reddidit, et quos finitimos dicit oratori poetas, et omnium bonarum artium scriptores, omnesque imitatus est ita, ut quibus potissimum excelleret unusquisque rebus, eas diligentissime sibi persequendas duceret. Commentabatur declamitans domi quotidie cum aequalibus idque faciebat

multum etiam latine, sed graece saepius, vel quod Graeca oratio plura ornamenta suppeditans consuetudinem similiter latine dicendi afferret, vel quod a Graecis summis doctoribus nisi Graece diceret, neque corrigi posset neque doceri (Brut. 90). Graecis enim praeceptoribus usum esse Ciceronem, imprimis Molone, qui latini sermonis imperitus erat, iam antea commemoratum est. Quare ipse in quadam ad Titinium epistola, teste Suetonio de claris Rhet. C. 2 ita scribit: „Equidem memoria teneo, pueris nobis primum latine doceri coepisse L. Plautium quemdam, ad quem quum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant, Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse.“ Ita praeparatus domestica exercitatione et umbratili prodiit in aciem forensem atque illam commentationem inclusam in veritatis lucem protulit, et tanquam in aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus prodiit, quare sine ulla iactatione se omne tempus in studiis laboribusque consumsisse, quo paratior ad usum forensem promptiorque esse posset (in Caec. 13, 41), et se ad causas et publicas et privatas adisse dicit, non ut in foro disceret, quod plerique fecissent, sed ut, quantum efficere potuisset, doctus in forum veniret (Brut. 90). Quare ab ipso Cicerone auctor dialogi de causis corr. eloq. (C. 34) colores sumsisse videtur ad delineandam imaginem illam iuvenis, qualis illo tempore accesserit ad causas dicendas: „Atque Hercule sub eiusmodi praeceptoribus iuvenis ille, de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator iudiciorum, eruditus et assuefactus alienis experimentis, cui quotidie audienti notae leges, non novi iudicum vultus, frequens in oculis consuetudo concionum, saepe cognitae populi aures, sive accusationem suscepit sive defensionem, solus statim et unus cuicumque causae par erat.“ — Cum vero tria videnda sint oratori, quid dicat et quo quidque loco et quomodo (Or. 14), Ciceroni illud longe maximum esse videbatur videre quonam modo. „Neque enim inquit (Brut. 29), refert videre, quid dicendum sit, nisi id queas solute et suaviter dicere“ idemque (Brut. 74) solum et quasi fundamentum oratoris locutionem emendatam et latinam, eademque ratione Caesar, referente Cicerone (Brut. 72), originem eloquentiae verborum dicit esse delectum. Quare etiam Quintil. (L. VIII prooem. 13) elocutionis rationem partem operis difficillimam esse dicit, idque inter omnes oratores convenire. Huic igitur quantam dederit operam quantoque successu, ipse significat in Bruto C. 93, ubi propter exquisitius et minime vulgare orationis genus animos hominum ad se dicendi novitate convertisse se dicit, atque in off. I, 1, ubi: „philosophandi, inquit, scientiam concedens multis, quod est oratoris proprium, apte, distincte, ornate dicere, quoniam in eo studio aetatem consumpsi, si id mihi assumo, videor id meo iure quodam modo vindicare.“ Non minorem vero curam actionis habebat eamque ipsam ob causam praestantibus nonnullis actoribus, imprimis Roscio et Aesopo, familiariter usus est, quippe cui persuasum esset, ne summum quidem oratorem esse in numero ullo posse sine actione, neque sine causa Demosthenem huic primas dedisse, quum rogaretur, quid in dicendo esset primum, huic secundas, huic tertias, neque ullam rem magis penetrare in animos, eosque fingere, formare, flectere (Brut. 38). Primo igitur tempore, quo causas adire coepit, quum vi summa vocis et totius corporis contentione sine remissione, sine varietate diceret, quumque eum, quod summam eius gracilitatem et infirmitatem corporis non procul abesse putabant a vitae periculo, et amici et medici hortarentur, ut causas agere desisteret, quodvis potius periculum sibi adeundum, quam a sperata dicendi gloria discedendum putavit. Quare quum esset biennium versatus in causis et iam in foro celebratum eius nomen esset, Athenas indeque in Asiam est profectus, ut commutato genere dicendi temperatius dicere et remissius disceret. Athenis igitur apud Demetrium Syrum, veterem et non ignobilem dicendi magistrum, deinde cum iis, qui in Asia tum rhetorum principes numerabantur, studiose exercebatur. Quibus non contentus Rhodum venit, seque ad eundem, quem Romae audiverat, Molonem applicavit, cum actorem in veris causis scriptoremque praestantem tum in notandis animadvertendisque vitiis et in instituendo docendoque prudentissimum. Is dedit operam, ut nimis redundantem illum et superfluentem iuvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret. Ita recepit se biennio post a. 77 a. Ch. non modo exercitior, sed prope mutatus, nam et contentio nimia vocis reciderat et quasi deferverat oratio (Brut. 91). Cum duo tum Romae excellenter oratores, qui eum imitandi cupiditate incitarent, Cotta et Hortensius, hunc, qui et

dicendi ardore esset propior et aetate coniunctior, sibi imprimis imitandum proposuit. Atque inde ab eo tempore in principibus patronis atque in plurimis nobilissimisque causis versatus est. Inde ipse de se suisque laboribus forensibus post quaesturam (75 a. Ch.) susceptis: „Feci, inquit, ut quotidie me praesentem viderent, habitavi in oculis, pressi forum; neminem a congressu meo neque ianitor meus neque somnus absterruit“ atque in oratione in Q. Caecilium, habita a. 70 a. Ch. (13. 41), in foro iudiciisque ita se versatum esse dicit, ut eiusdem aetatis aut nemo aut pauci plures causas defendissent. Nihilominus ad usum doctrinam adiungere nunquam destitit, ut cum iam praetor esset, multis negotiis non impediretur, quominus interesset M. Antonii Gniphonis grammatici et rhetoris scholis (Suet. de illustr. Gramm. 7).

Ex tali igitur ingenio, institutione, diligentia fieri non potuit, quin existeret orator, qualem praedicant ea, quae initio huius capituli protuli, virorum gravissimorum testimonia. Quum ita communi fere omnium consensu eloquentiae principatus ad Ciceronem esset delatus, fuere tamen, qui eius dicendi rationem minus probarent, imo maxime vituperarent. Ita auctor Dialogi de causis corruptae eloquentiae (C. 18) Ciceroni non defuisse testatur obrectatores, quibus inflatus et tumens nec satis pressus, sed supra modum exsultans et superfluens et parum Atticus videretur, et Quint. (XII, 10, 12) iam ipsius aetate dicit homines eum incessere ausos ut tumidiorem et Asianum et redundantem et in repetitionibus nimium et in salibus aliquando frigidum et in compositione fractum, exsultantem ac paene viro molliorem. Contra hos obrectatores ipse Cicero scripsit quasi sui purgandi causa libellum *De optimo genere dicendi*, quo usus est praefationis loco ad Demosthenis et Aeschinis orationes pro Ctesiphonte et contra eundem in latinum sermonem conversas. Sed de omnibus istis vituperatoribus, qui partim gloriae invidia, partim solo obrectandi studio incitati summi illius dicendi artificis gloriam violare ausi sunt, quid sit existimandum, iudicare licet cum ex iis, quae supra attulimus, virorum, penes quos est huius rei aestimatio, testimoniis, tum ex ipsis, quae exstant, Ciceronis orationibus.

Caput III.

De Ciceronis orationibus.

Quas habuit Cicero orationes, earum parva tantum, earum vero, quas conscripsit, fere dimidia pars ad nostram aetatem pervenisse videtur. Quod quomodo factum sit, ut intelligatur, primum omnium, quamnam in habendis conscribendisque orationibus Romani oratores secuti sint rationem, paucis erit demonstrandum. Quum enim Graeci oratores, ubicunque licuit, in causis gravioribus non meditates solum sed etiam litteris consignatas orationes ad iudices afferrent, oratores Romani Ciceronis aetate causarum, quas acturi erant, commentarios scribere consueverunt, in quibus quae partes valent ad impellendos animos, exordia et perorationes, paullo accuratius et copiosius, reliquarum vero partium, quae valent ad docendum, narrationis et confirmationis summae tantum litteris erant mandata. Quae autem orationes, quum habuissent, vel ipsis vel amicis maxime probabantur, eas postea diligenter elaboratas et tanquam elucubratas solebant edere. „Scribebantur igitur pleraeque orationes habitae iam, non ut haberentur“ (Brut. 24.). Atque ita etiam Cicero causarum illustrium, quas defenderat, rebus transactis et praeteritis confecit orationes (Tusc. IV, 25), quas ipse ludis et feriis se scripsisse dicit, ne omnino unquam esset otiosus (p. Planc. 27, 66). Minus autem probatas in commentariis imperfectas reliquit, quos tamen et ipsos nonnunquam in memoriam posteritatis compositos fuisse censet Quintil. X, 7, 30. Ita factum est, ut permultas Cicero haberet orationes, quas nunquam scripsit, contraquam nonnullae etiam scriptae exstant, quas nunquam habitas esse scimus, ut Verrinarum Actionis II quin-

que orationes, Philippica II et Miloniana, qualem nunc legimus. Quod autem Fr. A. Wolfius¹⁾ dicit, non dubitasse Romanos oratores, usu fretos et exercitatione forensi etiam extemporali facultati se committere, id a bonis quidem oratoribus non nisi necessitate cogente factum esse videtur. Plerumque extemporalem audaciam rabulae tantum et proclamatores iactabant in eaque sibi placebant. Iam vero quaerentibus nobis, quae causae fuerint Romanis oratoribus, scribendi orationes causis peroratis, variae illae fuisse videntur, quas ipse Cicero significasse mihi videtur in Bruto C. 24, ubi causas affert, cur nonnulli oratores orationes litteris non mandaverint. Primum ipsi meliores fieri studebant scribendo, siquidem nulla re magis adiuvatur orator, quam scriptione. Tum illi, qui limatius dicendi consecrati genus, eodem modo se posse et dicere et scribere putarent, memoriam in posterum ingenii sui se relicturos sperabant, si in existimantium arbitrium sua scripta venissent. Tum vero Cicero (epist. ad Att. II, 1, 3) diserte se scripsisse dicit orationes, adolescentulorum studii excitatum, vel quibus legendis delectarentur amici. Denique nonnunquam etiam accusati voluntate ad scribendum motus est, quum, ut Wolfii utar verbis, is, quem patronus discrimine fortunae capitisque liberasset, ab eo dictam, seu verius elaboratam de iisdem argumentis orationem legere et quasi denuo frui innocentia sua cuperet. Ita orationem pro Rege Deiotaro ipse quidem (ad fam. IX, 12) causam tenuem et inopem nec scriptione magnopere dignam esse dicit, sed se hospiti veteri et amico munusculum mittere voluisse.

Ciceronis orationum, quae ad nostram aetatem pervenerint, numerus, ut quisque rationem habet earum, quarum fragmenta tantum supersunt, aut quae num recte ad Ciceronem referantur, dubitatur an minus, ita varie affertur. Quae integrae vel tantum non integrae vel maximam certe partem ad nos pervenerunt, numerantur fere quinquaginta sex, quas temporis ratione habita enumeramus, addito quo habitae sunt, anno: 1) Pro P. Quintio hab. a. 81 a. Ch., 2) Pro Sext. Roscio Amerino a. 80, 3) Pro Q. Roscio Comoedo a. 76, 4) In Q. Caeciliam divinatio a. 70., 5–10) In Verrem actio I et II l. 1–5 a. eodem, 11) Pro M. Fonteio a. 69, 12) Pro A. Caecina a. e., 13) Pro lege Manilia a. 66, 14) Pro A. Cluentio Avito e. a., 15–17) De lege Agraria I–III a. 63, 18) Pro C. Rabirio e. a., 19–22) In L. Catilinam I–IV e. a., 23) Pro L. Murena e. a., 24) Pro P. Sulla a. 62, 25) Pro Archia Poeta e. a., 26) Pro L. Valerio Flacco a. 59, 27) Post reditum in Senatu a. 57, 28) Post reditum ad Quirites e. a., 29) Pro domo sua ad Pontifices e. a., 30) De haruspicum responsis e. a., 31) Pro P. Sestio a. 56, 32) In P. Vatinius e. a., 33) Pro M. Caelio e. a., 34) De Provinciis Consularibus e. a., 35) Pro L. Corn. Balbo e. a., 36) In L. Calpurnium Pisonem a. 55, 37) Pro Cn. Plancio a. 54, 38) Pro C. Rabirio Postumo e. a., 39) Pro T. Annio Milone a. 52, 40) Pro Marcello a. 46, 41) Pro Ligario e. a. 42) Pro Rege Deiotaro a. 54, 43–56) In M. Antonium or. Philippicae a. 44 et 43 a. Ch. —

Praeter hos a novissimo Ciceronis operum editore (opp. vol. IV, p. 2) afferuntur fragmenta orationum deperditarum unius et viginti, inter quas sunt tres, quae et ipsae in orationum, quae exstant, indicem recipi solent atque ab Orellio etiam receptae sunt: pro M. Tullio; in toga candida et pro M. Aemilio Scauro; praeterea tituli commemorantur orationum deperditarum, quarum ipse Cicero in aliis libris mentionem facit, duarum et triginta. Inter eas autem, quas supra commemoravi, orationes nostra aetate viri quidam docti contenderunt nonnullas esse suppositas, imprimis Fr. A. Wolfius quinque illas, quae sunt: Post reditum in sen. et ad Quir., Pro domo sua ad Pontifices, De Haruspicum responsis et Pro M. Marcello non esse Ciceronis, summa cum confidentia iudicavit, cuius auctoritate motus etiam Orellius eas inter Ciceronis scripta dubia et suppositicia retulit. A. Wolfii aliorumque criminationibus eas vindicare studuerunt cum alii tum J. A. Savels²⁾.

Aliorum suspectas reddendi singulas Ciceronis orationes conatibus omissis iam ad illam quaestionem accedamus, quae in genera illae commodissime distribuatur. Qua in quaestione absolvenda duces sequimur ipsum Ciceronem, qui (de off. I, 37, de Orat. I, 16) ratione habita eorum, apud quos erat dicendum, distinguit dis-

¹⁾ Cfr. M. T. Ciceronis, quae vulgo fertur, oratio pro Marcello rec. F. A. Wolfius praef. p. XIX sqq.

²⁾ Cfr. Savels I. A. Disput. de vindicandis M. T. Ciceronis V orat., Col. 28.

ceptiones s. orationes iudiciorum, concionum et senatus; dicebat enim orator aut apud iudices aut apud populum aut apud senatum (de off. II, 14). Quorum trium generum cui adnumeranda sit unaquaeque oratio, discerni facile potest statim in orationis exordio, ubi orator alloquitur aut iudices aut Quirites aut Patres Conscriptos.

In senatu habitae sunt illarum, quas antea enumeravi, Ciceronis orationum viginti: De Lege Agraria I; In Catilinam I et IV; Post reditum altera; De Haruspicum responsis; De provinciis Consularibus; In L. Calpurnium Pisonem; Pro Marcello; Philippicae omnes praeter IV et VI. His addi potest ea, quam habuit pro Domo apud Pontifices, in qua domum suam, a Clodio Libertati consecratam, ab omni religione liberam esse docet. Apud populum habitae novem sunt: Pro Lege Manilia; De Lege Agraria II et III; Pro C. Rabirio; In Catilinam II et III; Post Reditum altera; Philippicarum IV et VI. Reliquae sex et viginti habitae sunt omnes apud iudices s. in causis forensibus, quae et ipsae duplici modo distribuuntur; sunt enim primum aut accusationes aut defensiones, quarum etsi laudabilior fuit defensio, tamen etiam accusatio probata persaepe est (de off. II, 14). Ita Cato Censorius accusabat Serv. Galbam et alios; P. Scipio Africanus L. Cottam, atque L. Crassus teste Cicerone (off. II, 13) sibi peperit maximam laudem ex illa accusatione nobili et gloriosa, qua maiestatis postulavit C. Papirium Carbonem, eloquentissimum hominem a. 129 a. Ch. Quorum virorum exemplum secutus etiam Cicero accusavit quum alios paucos, tum imprimis C. Verrem, qui propraetor Siciliam provinciam per triennium pessime vexaverat, atque ad eam causam ipsam pertinent, quae solae huius generis orationes exstant, septem Verrinae, quarum prima in Caecilium, qui eandem accusationem petebat, habita, divinatio fere nominatur i. e. quaestio de constituendo accusatore. Ceterae ex duabus actionibus constant, quarum in priore solis testibus usus est Cicero, altera perpetua oratione; significatur enim, cum prima, altera etc. actio commemoratur, quoties ea causa ad iudices tota acta sit (Ern. clav. s. v.). Accusationem secundam, quinque libros continentem, non actam coram iudicibus, sed postea demum, Verre iam exsulante, scriptam esse, iam supra commemoratum est. In Vatinius quae inscribitur oratio, non est ea accusatio, quae proprie dicitur, putanda, sed quasi ἀποσπασμάτιον (appendicula) eius orationis, quam habuit Cicero pro P. Sestio, contra quem testimonium dixerat Vatinius, quare Cicero perpetua interrogatione eum incessit, unde interrogatio nominatur tota oratio (ad fam. I, 9). Duodeviginti, quae praeterea exstant, orationes in iudiciis s. in causis forensibus habitae, defensiones sunt omnes, quibus maximam et gloriam et gratiam parari dicit Cicero (de off. II, 14, 18), eoque maiorem, si quando accidat, ut ei subveniatur, qui potentis alicuius opibus circumveniri urgerique videatur, ut ipse et saepe alias, et adolescens contra L. Sullae dominantis opes pro S. Roscio Amerino fecerit. Quanto autem laudabiliores Ciceronis aetate fuerint defensiones accusationibus, ea re probatur, quod Cicero initio orationis in Caecilium multis verbis excusandum putat, quod ipse, qui tot annos in causis iudiciisque publicis ita sit versatus, ut defenderit multos, laeserit neminem, subito mutata voluntate ad accusandum descendat, quodque Tusc. quaest. I in commemoraturus causas forenses defensionum tantum mentionem facit. Quare etiam Quintil. (XII, 7, 1): „Defendere quidem reos profecto quam facere vir bonus malet; non tamen ita nomen ipsum accusatoris horrebit, ut nullo neque publico neque privato duci possit officio, ut aliquem ad reddendam rationem vitae vocet.“ Altera orationes in iudiciis habitas distribuendi ratio spectat ad ipsius causae, quae agitur, naturam atque gravitatem. Sunt enim habitae aut in causis publicis aut in causis privatis: publicae causae erant, quae ad totam rem publicam, ad vitam, salutem, fortunas omnium civium Romanorum spectabant, ut de peculatu, de maiestate, de caede facta etc.; privatae causae dicebantur, in quibus privatorum commodum agebatur, ut de testamentis et hereditatibus, possessionibus et quae sunt eiusdem generis¹⁾. Inde etiam iudicia publica dicebantur, quae in causis publicis, privata, quae in causis privatis versabantur. Causae publicae quum antea actae

¹⁾ Cfr. Ernesti clav. s. vv. Bachii hist. iuris I. II c. I §. 21 sqq. Nieuport de ritibus Rom. p. 195 sqq. Reindas röm. Privatrecht; Geis: Gesch. des röm. Criminalprocesses.

essent apud populum in comitiis, unde etiam iudicia populi dicebantur, L. Piso tribunus plebis a. 150 a. Ch. primus legem de repetundis tulit, quam deinde aliae leges de criminibus publicis secutae sunt, quibus cautum erat, ut ad Quaesitorem aliquem, cui ea quaestio obtigisset, hae causae per iudices selectos agerentur. Et quoniam quotannis creabantur, quibus hae quaestiones mandarentur, et suus cuique quaestioni exercendae praecerat perpetuus quaesitor, propterea perpetuae sunt appellatae. Eius rei causa creati sunt praetor urbanum et peregrinum alii quatuor, quibus hae quaestiones mandarentur sorte. Tot enim erant ante Sullam quaestiones perpetuae et quidem repetundarum, ambitus, maiestatis et peculatus. Postea Sulla constituit novis quaestionibus de sicariis et veneficis et de falso duos addidit, atque post illum additis quaestionibus de parricidis, de vi publica et privata, de adulteriis, de periuriis, etc. denuo auctus est praetorum quaesitorum numerus, nam singulis praetoribus plerumque singulae, nonnullam vero etiam plures quaestiones mandabantur. Ita paullatim omnia iudicia publica, uno perduellionis iudicio excepto, quod ex instituto Tulli Hostilii semper universus populus exercebat, cuiusque exemplum exstat Ciceronis oratio pro C. Rabirio perduellionis reo, habita ad Quirites, constituitis quaestionibus perpetuis a populo translatae sunt ad Quaesitores et selectos iudices atque erant legitima i. e. lege aliqua constituta; inde dicta est quaestio legitima pro Archia C. 2 s. contentio legitima pro Sestio C. 17. Quod autem antea fere fieri solebat, ut quotiescunque aliquod iudicium habendum esset de crimine publico, opus esset nova lege aut Senatus consulto, raro tum tantum factum est, ut in causa Miloniana. Praecerat igitur iudicio publico praetor, quaestionis praeses perpetuus, sed una cum praetore iudicium exercebant iudices selecti, ita dicti, quod non sorte, sed iudicio seligebantur a praetore urbano, qui, quum inibat magistratum, iuratus optimum quemque in selectos iudices referebat (Cluent. 43), et quidem ex iis ordinibus, apud quos iudicia essent. Quae cum primis temporibus penes Senatum fuissent, lege Sempronia a. 123 a. Ch. a C. Graccho lata propter avaritiam senatorum ad equites translatae sunt. Hi quamquam ita severe iudicabant, ut Cicerone teste (Verr. A I, 13) nunquam eques in iudicium aut suspicionem captae pecuniae propter rem iudicandam vocatus sit, tamen iniquiores fuisse senatui et reos senatores nimis cupide condemnasse arguebantur. Quare postquam nonnullae de iudiciis cum utroque ordine, equestri et senatorio, communicandis non essent perlatae leges, tandem C. Sulla a. 82 a. Ch. motus odio equestri ordinis plebisque, Senatoribus solis reddidit iudicia. Qui quum, ut intelligere licet cum ex aliis Ciceronis orationum locis tum imprimis ex Verrinis (e. c. III, 96), minus religiose et severe iudicarent, L. A. Arelia Cotta praetor, ut omnibus ordinibus satisfaceret, a. 70 a. Ch. legem tulit, ex qua Senatores, Equites, et e plebe Tribuni aerarii iudicarent. Inde tres decuriae iudicum a praetore urbano descriptae sunt, prima Senatorum, altera equitum, tertia tribunorum aerariorum, et ita quidem, ut in singulis iudiciis habendis e tribus istis decuriis aliquot legerentur. Instante igitur iudicio Praetor, qui rem ad se delatam ad iudicium praeparavit, ex decuriis iudicum tot sortiebatur, quod singulis iudiciis leges definissent, iudicibusque, quorum numerus varius erat in singulis causis, sedentibus in subselliis, praetor ipse sedebat pro tribunali. Iudicum princeps fuisse videtur is, qui dicitur *Iudex quaestionis*, qui et ipse nonnullam quaesitor nominatus et praetoris vice functus datam ab illo actionem exercebat. Sortitione facta, et reo et accusatori suspectos et iniquos sibi futuros iudices reiiciendi erat potestas, nolebant enim Romani quemquam iudicare, nisi qui inter eos, quorum res ageretur et causa, convenisset. In reiectorum locum praetor, qui quaestioni praecerat, alios subsortiri solebat. Ita in causa Miloniana, ut hoc utar exemplo, teste Asconio (Argum. orat. Milon.) unum et octoginta praetor ex iudicibus sortitus est, quorum quum reus et accusator quinos ex singulis ordinibus reiicissent, unus et quinquaginta relictus sunt, qui nulla sortitione facta, sententias ferrent, et quidem duodeviginti senatores, septendecim equites, sedecim tribuni aerarii. Iudicabant enim impari numero, equites uno pauciores senatoribus, tribuni aerarii uno pauciores equitibus, habita cuiusque ordinis dignitatis ratione, et quamvis singuli ordines separatim sententias ferrent, numerus tamen omnium iudicum non ordinis in absoluteione aut condemnatione spectabatur (Manut. ad or. pro Arch. 2).

Nullum iudicium haberi neque reus condemnari potuit, nisi quis eum accusasset. Licuit autem constitutis quaestionibus perpetuis unicuique e populo Romano reum in iudicium vocare, quin etiam ad adliciendos accusatores, ut metu contineretur audacia, nonnullis legibus constituta sunt praemia accusatoribus, quare saepe adolescentuli in civis clarioris et in republica iamdiu versati accusatione vires suas periclitabantur, tirocinium posituri, cuius rei exemplum proposuimus supra L. Lic. Crassum, qui annos natus unum et viginti C. Carbonem in iudicium vocavit. Sordidi autem atque improbi homines nonnunquam quaestus faciendi causa ad accusationes descendebant. Quare quum innocentibus interdum periculum instaret, legibus coercenda erat calumniatorum impudentia, id quod factum esse scimus lege Remmia, qua cautum erat, ne liceret, quemvis vel innocentem impune accusare. Ex illa lege calumniatorum frontibus calumniae nota quaedam, fortasse littera K. (Kalumnia) inurebatur (p. Rosc. Amer. C. 19 et 20). In causis gravioribus nonnulli socii et adiutores in iudicio adesse solebant accusatori, quibus subscriptoribus erat nomen. Cum enim accusatori et rei et suum nomen in libello esset inscribendum, illi paratos se ad eandem accusationem professi operamque suam primario accusatori polliciti, in eodem libello sua nomina subscribebant, unde subscriptores sunt dicti (Forc. s. v.) Ita Murenam de ambitu reum fecit Serv. Sulpicius Rufus, subscribentibus M. Catone, Cn. Postumio, Serv. Sulpicio adolescente; Gabinium de ambitu reum facit P. Sulla, subscribente privigno Memmio, fratre Caecilio, Sullae filio. Sin autem ad eundem reum postulandum plures et quidem unus invito altero descenderunt, habita est, priusquam alteriutri data est accusatio, actio de accusatore constituendo, quae actio habitaque in illa oratio divinatio nominabatur, qualem divinationem supra commemoravimus orationem in Q. Caecilium, qui una cum Cicerone C. Verris petebat accusationem.

Accusatoris munere quanto laudabilius fuerit defensoris officium, iam supra commemoravi, praesertim quum primum patrio more gratuitam praestarent operam. Postea vero (a. 205 a. Ch.) labente illo more lex Cincia de donis et muneribus lata est, qua cautum erat, ne quis ob causam orandam mercedem pacisceretur aut munera acciperet. Sed quam non religiose observata sit haec lex, apparet cum ex iis, quae supra C. I attuli de Hortensii divitiis, tum ex illis, quae leguntur in Tac. Annal. XI, 5 et 6 et XIII, 42, ex quo loco intelligere licet, relatum esse hanc legem et novo Senatusconsulto firmatam ab Augusto. Saepe in una eademque causa plures dixere patroni, ut pro Murena tres, pro M. Aem. Scauro sex, id quod sua demum aetate factum neque eo more quidquam vitiosius esse dicit Cicero (Brut. 57); veterem enim more unus totam causam peroraverat¹⁾. Quoties vero plures singulas defendebant causas, perorandi locum, ubi plurimum pollet oratio, semper Ciceroni relinquebant. Tempus dicendi quum antea non esset constitutum, sed unicuique quantum et quamdiu vellet, dicere liceret, lege Pompeia de ambitu a. 52 a. Ch. lata defensio in certa horarum spatia coacta est; quare auctor dial. de causis etc. C. 38 Pompeium eloquentiae veluti frenos imposuisse dicit. Quum enim lege XII tab. cautum esset: „Ut sol occasus suprema tempestas esset“ i. e. ut sole occidente iudicia solverentur et ante solem occidentem praetor ius redderet, ii, quorum intererat, ne quid eo die ageretur et ut res differretur in aliud tempus, data opera multum temporis consumebant in dicendo, donec sol occideret. Quod ne in posterum liceret in iudiciis, patronis spatia dicendi clepsydris definebantur ex lege Pompeia, qua binae accusatori, reo ternae tantum ad dicendum datae sunt horae; numerus patronorum definitus, laudatores vetiti, testibus interrogandis triduum, antequam causa ageretur, praestitutum, praemia accusatoribus proposita sunt. Quam legem vituperat auctor dial. C. 38 his verbis: „Eloquentiam tamen illud forum magis exercebat, in quo nemo intra paucissimas horas perorare cogebatur et liberae comperendinationes erant et modum dicendi sibi quisque sumebat et numerus neque dierum neque patronorum finiebatur.“

Praeter patronos etiam laudatores et advocati a reo plerumque defensionis causa adhibebantur. Illi viri erant amplissimi, qui testimonio suo reum adiuvabant, praecipue quum quis reus repetundarum erat, eorum-

¹⁾ Etiam apud Athenienses saepe factum esse, ut singulae causae pluribus patronis demandarentur, eosque scenica voce nominatos esse *πρωταγωνιστάς, δευτερογωνιστάς* etc., latine actores primarum, secundarum etc. partium docet nos Wolfius Prol. ad Dem. Lept. 24.

que numerum legitimum denarium fuisse patet ex Verr. V, 22; sed eos lege Pompeia vetitos esse adesse reis, modo commemoratum est. Advocati fuerunt ab accusatore aut reo ad rem iuvandam in iudicium vocati amici, qui in subselliis partium sedebant solaque praesentia sua animum benevolum significabant. Inde Asconius ad Cic. Verr. II, 4: „Qui defendit alterum in iudicio, aut patronus vocatur, si orator est; aut advocatus, si aut ius suggerit aut praesentiam commodat amico; aut procurator, si negotium absentis ab urbe suscipit; aut cognitor, si praesentis in urbe causam novit et sic tuetur ut suam. Causidicus denique vocatur, qui nihil nisi causas in foro agit, quare cum contemptu quodam coniungitur cum proclamatore et rabula (Cic. de Or. I, 46).

Perorata causa iudices sententiam ferebant, et primo quidem tempore voce, sed inde ab anno 138 a. Ch. lata lege tabellaria datis tabellis. Erant autem tabellae triplices, una absolutionis, in qua scripta erat littera A (absolvo), altera condemnationis, in qua erat littera C (condemno); tertia ampliacionis, in qua erant littera N. L. (non liquet.). Harum tabellarum unam iudices, a praetore in consilium missi, in urnam coniciebant, unde quum essent eductae, praetor sententiam ex tabellis cognitam pronuntiavit. Aliquamdiu ex lege Cornelia de sententia ferenda reus a Quaesitore interrogabatur, palam an per tabulas vellet sententias ferri. Poena non a iudicibus irrogabatur, sed in singula crimina legibus erat statuta, quam exilio voluntario evitare potuit reus, quare Cicero (Caec. 34) exilium non supplicium esse dicit, sed effugium portumque supplicii; nam nulla lege apud Romanos ut apud alias civitates maleficium quoddam exilio est multatum. Ita Milo, quum esset damnatus, Massiliam exulatum abiit. Iudicia publica habere solita in foro in conspectu populi, subsellia iudicum ab omnibus partibus cingentis, qui hominum conventus corona fere nominatur. Unam pro rege Deiotaro orationem intra domesticos parietes habitam, apparet ex eiusdem orationis C. 2.

Privata iudicia regibus exactis primum a Consulibus exercebantur, qui quum et rei militari administrandae et iuri dicundo non sufficerent, a. 366 a. Ch. creatus est praetor, qui ius diceret civibus Romanis, quippe qui soli uterentur civili iure Quiritium. Ab anno demum 244 a. Ch. duo creati sunt praetores, quorum alter appellatus est urbanus, qui ius diceret inter cives, alter peregrinus, qui ius diceret inter peregrinos atque inter cives et peregrinos. Horum praetorum, quorum magistratus in solis causis privatis versabatur, propria erat iurisdictio, quae et ipsa Ciceronis aetate pertinebat ad solas causas privatas, ut quaestio ad publicas. Quare praetores, qui publica iudicia exercebant, non iurisditionem sed imperium civile habere dicebantur. Et quoniam in provinciis praetor aut proconsul et causis privatis et publicis praecerat, propterea is et iurisditionem habere dicitur et imperium. Praetor urbanus et peregrinus quum munus adibant, proposuerunt annua edicta i. e. formulas iuris, ex quibus ipsi in exercenda iurisditione agerent, promulgabant. Quum igitur causa in iudicium erat deducenda, actor s. petitor in ius vocabat adversarium, i. e., ab eo petebat, ut se sequeretur ad praetorem, tum a praetore actionem postulabat, i. e. petebat, ut sibi liceret, in adversarium ex lege aliqua agere s. actionem intendere. Actione data actor certa quadam formula vades petebat, fore, ut reus certo die, qui plerumque erat dies perendinus, ad iudicium adesset, unde dicebatur ipse reum vadari, reus vadimonium promittere. Tertio die actor actionem intendebat certa formula conceptam, eaque intenta pro actionis natura a praetore postulabat aut iudicem aut arbitrum aut recuperatores aut iudicium; nam praetores ipsi non de facto, sed de iure tantum statuerunt, neque ipsi iudicabant, sed iudicia modo constituebant iisque praecerant. A praetore iudex dabatur, quum certa formula, qua definitum erat, quid et quomodo esset iudicandum, a qua discedere non licuit, controversia dirimenda erat, arbiter, quum cognoscendum erat de rebus bonae fidei. Quare Cicero (pro Roscio Com. 10): „Ad iudicium, inquit, hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus; ad arbitrium hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum postulavimus, consequamur.“ Ad arbitrum igitur saepe confugiebant, qui ad iudicem causam labefactari animadvertabant. Recuperatores dicti sunt, qui de rebus privatis recuperandis reddendisque i. e. de re pecuniaria cognoscebant, quare ad recuperatores habita est Ciceronis oratio pro A. Caecina. Iudicium erat plerumque Centumvirorum, qui adhibebantur, quum causa requirebat subtiliorem quandam cognitionem iuris civilis, imprimis in hereditatis petitione et similibus causis, quae commemoran-

tur apud Ciceronem de orat. I, 38. Centumvirorum origo repetenda est ex anno 241 a. Ch., quo numerus XXXV tribuum expletus est, terni enim creati erant ex singulis tribubus, ut re vera quinque et centum essent numero, quum antea fuissent decemviri litibus iudicandis, quorum ope uteretur praetor in iudiciis exercendis; sed creatis etiam centumviris decemviri mansisse atque in causis levioribus Centumvirorum loco iudicasse, nonnumquam etiam praetoris loco iudicio praefuisse dicuntur. Ad centumviros appellari potuit ab iis, quos modo commemoravi, iudicibus; erat enim in causis privatis s. civilibus appellatio, in causis publicis provocatio; a centumviris autem non erat appellatio. Semper autem dabatur a praetore iudex, qui conveniebat i. e. probabatur et petitori et reo, et qui nec legibus, nec natura, nec moribus, quominus iudex esset, prohiberetur, et in ea verba dabatur, quibus postulatus erat, neque vero iudices omnes erant iuris periti, sed unum tantum alterumve iurisconsultum in consilium adhibebant. Lite contestata i. e. postquam litigatores causa exposita praesentes testes fecerunt, alter alteri denunciatur diem perendinum, quo in iudicium veniret, unde dicta est comperendinatio s. condictio. Eo die, postquam iurarunt et iudices, se ex lege iudicatu-ros, et litigatores, se non frustrandi aut vexandi causa suscipere litem, causa peroratur, eaque perorata sententia dicitur.

Privatas causas Cicero raro tantum egit, suntque inter illas, quae aetatem tulerunt, orationes, tres tantum habitae in causis privatis, inter quas numeranda est etiam ea, quam supra primo loco commemoratam habuisse dicitur Cicero pro P. Quintio aetatis anno vicesimo sexto; neque vero verisimile est, eum hoc demum anno forum attigisse, imo ex ipsa oratione iam prius eum ad causas adisse patet. Altera est pro Q. Roscio Comoedo, tertia pro Caecina, habita ad recuperatores. Reliquae orationes iudiciales omnes habitae sunt in causis publicis, et primam quidem causam publicam ipse Cicero (Brut. 90) a se pro Sex. Roscio Amerino dictam esse dicit, eamque tantum iam commendationis habuisse, ut non ulla fuerit, quae non digna ipsius patrocinio visa sit. Reliquarum maxime laudantur fere, quippe quae diligentissime elaboratae sint, Catilinariae, Miloniana, Verrinae, Philippicae. Quare etiam auctor dialogi C. 37: „Nec Ciceronem, inquit, magnum oratorem P. Quintius defensus aut Licinius Archias faciunt: Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt.“